

quod Deus Prophetis Apostolisq; concessit? Ergo illi Deum existentem revera contuiti sunt, & simul non sunt contuiti. Viderunt quidem quatenus ipsorum natura sustinebat: idque virtutis illius beneficio, qua prepotens ille Deus pro singulari suo erga hominem amore, qui sibi ex animo, ac sincere serviebat afficere illum voluit. In hujus sententiæ probatione prolixus est Petavius de Deo & Propriet. L. VII. cap. V. §. 11. seqq.

§. 6.

Personam quam vidit Propheta, appellat *דבא Dominum*. Grotii explicatio eo tendit, ut doceat: Prophetam non tam ipsum Dominum ejusque gloriam, quam potius eximium fulgorem vidisse. *Dominum intellige, inquit, eximium fulgorem.* Constat equidem Dominum ipsum ejusque naturam divinam oculis humanis non capi, *Exod. XXXII. 20. 23. I. Tim. VI. 16.* Deus enim est *αορατος I. Tim. I. 17. Hebr. XI. 27.* quem nemo vidit unquam *Job. I. 18. I. Job. IV. 12. &* quando Deus Abrahamo *Gen. XVIII. 1* Jacobo *Gen. XXXII. 30.* Populo Israelitico *Deut. V. 24. Mosi Hebr. XI. 27. &c.* visus est, sub specie signi visibilis, quam Deus ad tempus ex *εὐχρησασασει* assumpsit, apparuit. Sic hoc loco non solum fulgorem eximium, quem vult Grotius; sed habitum Regis humani assumpsit personam, futuræ incarnationis præludium agens, Regis enim humani est sedere super folio, ejusque fimbriæ replere solent locum: Sic & Regem circumstant ministri eidem inservientes, quorum locum occupant Seraphini supremæ Majestatis præcones. Inde quoque est, quod *Esaias v. 5.* dixerit: *Oculos suos Regem Dominum Zebaoth vidisse.* Imo ipse Rex more humano locutus est: *Quem mittam, & quis ibit nobis? v. 8. & 9.* quæ omnia formæ humanæ apparentis sunt indicia. Sed in his, quæ in oculos incurrunt, apparentiis, non substitit visio Prophetæ, longe plura & divina intellectu spirituali eundem cognovisse, non dubitamus, v. g. Domini incarnationem, in-

car-